

disp. 21, n. 11, cum communi aliorum. Ratio est, tum quia per tale interdictum aut prohibitionem non privatur titulo et potestate parochiali, consequenter matrimonio valide adhuc assistere potest, eo quod quemvis parochum proprium ad id legitimaverit concilium Tridentinum, cit. sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. 1, ut proin parochus jure proprio, et non ex aliena facultate hunc actum exerceat, arg. l. *More majorum*. ff. de *Jurisdic. omnium judic.* ibi: « Qui eam suo jure, non alieno beneficio habet. » Tum quia universaliter matrimonia contra interdictum Ecclesie valent; nisi interveniat impedimentum dirimens, arg. c. 2, de *Matrim. contract. contra interdict. Eccles.* Accedit pro conclusione Rotæ decisio, et declaratio cardinalium, quas refert Bosco, loc. cit.; Sanchez, loc. cit.

Dicitur autem notanter valide; quia licite non assistit, hoc ipso, quod contra obedientiam debitam, et quidem in materia gravi agat; quapropter etiam puniri potest. Omnes.

73. *Idem est de parochio irregulari, suspenso, aut excommunicato.* — Resp. VI. Valide quoque assistit matrimonio parochus irregularis suspensus, interdictus, et excommunicatus etiam vitandus, Bosco, loc. cit. concl. 9; Sanchez, loc. cit. n. 4; Navarrus, consil. 4, h. t. in fine; Pontius, lib. V, cap. xvii, n. 6; Palao, de *Sponsal.* disp. 2, pun. 13, § 10, n. 6, cum communi aliorum contra Avilam, de *Censur.* p. II, disp. 3, dub. 1, concl. 5. Ratio est, quia talis adhuc est, et manet verus parochus proprius, qui una cum testibus a concilio Tridentino præcise requiritur. Nec aliquo jure statutum habetur, quod parochus excommunicatus matrimonio invalide assistat.

74. *Solvitur instantia.* — Dices: Parochus matrimonio assistens, vel se habet ut actum jurisdictionis, officii, et potestatis publicæ exercens, vel ut testem qualificatum agens: sed neutro modo valide assistere potest: ergo. Non primo; quia tales actus ab excommunicato vitando exerciti, sunt irriti et nulli, c. *Cum inter*. 16, de *Elect.* c. *Unico*, *Ne sede vacante*. in 6, et c. *Decernimus de Sentent. excommun.* in 6. Neque secundo; quia excommunicati vitandi testimonium inidoneum, ac nullum est, cit. c. *Decernimus*. 8, et c. *Licet*. 18, de *Sentent. excommun.* in 6, et c. *Veniens*. 38, de *Test. et attestat.* in fine, ergo.

Ad hanc instantiam respondetur, parochum assistendo non exercere quidem actum jurisdictionis contentiosæ, sed ad summum voluntariæ, agereque testem qualificatum, et quidem utrumque valide, non obstantibus juribus allegatis; quia non omnes actus potestatis publicæ ab excommunicato exerciti sunt invalidi, sed illi tantum, quos in specie jura irritant, inter quos non est assistentia matrimonialis. Nec etiam universaliter in omnibus et singulis habentur pro testibus inhabilibus dicti excommunicati vitandi, cum admittatur eorum testimonium in causis fidei, c. *In fidei*. 5, et c. *Præsentibus*. 6, de *Hæretic.* in 6. Imo universaliter admittuntur, et sunt testes habiles in causis, in quibus etiam infames esse possunt testes, arg. c. *Tanta*. 7, de *Simon.* Inter has causas autem etiam est matrimonium per dicenda infra n. 103, ergo.

75. *Validum est matrimonium, cui assistit parochus putativus ob errorem communem. Error communis facit jus.* — Resp. VII. Valide insuper matrimonio assistit parochus putativus, id est ille, qui per communem errorem communiter, et vulgo verus parochus esse creditur, et pro tali habetur, quamvis vere parochus non sit, utpote qui vel ab initio parochiam invalide, v. g. simoniace excepit, vel ea rite acquisita, ob crimen aliquod occultum v. g. hæresis, vel ob aliam causam ipso facto jam privatus existit. Sanchez, lib. III, disp. 22, n. 5, et seq.; Bosco, disp. 41, sect. 9, concl. 10; Pirhing, h. t. n. 18; Gutierrez, de *Matrim.* cap. xxvi; Pontius, lib. V, cap. xix, cum communi aliorum. Ratio est, quia error communis jus facit, id est, ob errorem communem jus supplet defectum, et jurisdictionem illius, de quo communis error est, ut habet unanimis doctorum arg. l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* l. 2, c. de *Sentent. et interloq.* juncto can. *Infamis*. 3, q. 7, et c. *Approbandum de Sentent. et re judic.* Idque propter bonum commune, utpote quod alias sæpe graviter pateretur ob gravissima inconvenientia, et scandala, quæ sequerentur, si omnia per judicem putativum acta et gesta essent irrita ac nulla; præsertim quando error ille communis detegeretur et auferretur.

76. *Non item error privatus contrahentium.* — Dicitur autem notanter per errorem communem; quia error privatus contrahentium et aliquorum non sufficit, nec ob eum jus

supplet jurisdictionem, uti est unanimis per jura citata. Ratio est, quia ob privatum errorem unius aut alterius non sequuntur memorata inconvenientia et scandala; nec patitur bonum commune, ob quod solum tamen jura jurisdictionem suppleant, juxta dicta. Accedit, quod leges non attendant ea, quæ raro, et in particulari casu, sed communiter accidunt, l. *Nam ad ea*. ff. de *Legib.* ibi: « Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ et frequenter et facile, quam quæ raro eveniunt. »

77. *Quando parochus est intrusus, invalide assistit matrimonio, etsi adsit error communis.* — Limitatur tamen conclusio in casu, quo parochus nullum etiam coloratum titulum habet, utpote a nullo legitimo superiore institutus, sed aliunde intrusus, Sanchez, loc. cit. n. 49 et 50, cum communissima aliorum, quos vide apud Sanchez, loc. cit. quia universaliter gesta ab eo, qui nec coloratum titulum habet, non valent; etiamsi concurrat consuetudo centenaria, et error communis, arg. c. 1, de *Reg. jur.* in 6, et c. *Ex frequentibus de Instit.* prout late probavimus lib. II, tit. XXII, § 19, a. n. 163; ubi vide.

78. *Sententia contraria est probabilis.* — Nihilominus sententia contraria, quam tenet, et late probat Pontius, lib. V, cap. xx, n. 2, et seq.; Bosco, loc. cit. n. 372; Diana, p. III, tract. IV, resolut. 3, ad finem, et alii, probabilitate non caret, præsertim, quod revera eadem inconvenientia et scandala sequi, ipsumque bonum commune pati videatur, sive gaudeat, sive careat titulo colorato parochus, sive sit intrusus sive non; dummodo adsit error communis, et ipse communiter verus putetur parochus; prout consideranti patet, intuitu autem boni publici jura ob errorem communem suppleant jurisdictionem per dicta: ergo.

79. *Validum est matrimonium assistente parochio putativo: etsi hic aut contrahentes errorem communem scient.* — Procedit tamen conclusio n. 75, data, etiamsi defectum veri tituli seu errorem tam parochus, quam contrahentes scient, dummodo communiter parochus existimetur, Abbas, in c. *Ad probandum de Sentent. et Re judic.* n. 15 et 16, et ibi Felinus, n. 8; Imola, n. 6; Sanchez, loc. cit. n. 42; Bosco, loc. cit. n. 374; Gutierrez, de *Matrim.* cap. lxii, n. 22; Palao, loc. cit. n. 10, cum communi aliorum. Ratio est, quia sicut juxta dicta n. 76, error particularis contrahentium, et aliquorum non

facit, quod matrimonium assistente putativo parochio sit validum, ita scientia eorum particularis non efficit, quod matrimonium sit invalidum, si error communis adhuc viget, contrariorum enim eadem est disciplina, per vulgaria juris.

80. *Licentia assistendi matrimonio dari potest tam ab ordinario, quam a parochio.* — Quæritur III. A quo? cui? et quomodo concedi possit licentia, aut committi actus assistendi matrimonio, loco parochi? Resp. I. Quivis ordinarius et parochus proprius dare potest cuivis sacerdoti licentiam valide et licite assistendi matrimonio sui subditi: ordinarius quidem matrimonio sibi subditorum diocesis v. g. parochus vero alterutrius sponsi pro matrimonio sui parochiani, et per consequens etiam pro matrimonio illius, qui cum suo parochiano contrahit. Caret controversia ob claram concilii Tridentini dispositionem sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. 1, ibi: « Qui aliter quam presente parochio, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia. » Quinam autem per ordinarium, et qui nomine parochi ad præsens intelligatur, habes supra a n. 53. et lib. II, tit. XXXI. De quibus etiam late scribentem vide Sanchez, lib. III, disp. 28 et seqq.

81. *Alicui alteri, sacerdoti, sacerdoti tamen.* — Resp. II. Licentia assistendi matrimonio debet necessario dari tali, qui sacerdos est, Sanchez, lib. III, disp. 20, n. 10; Navarrus, h. t., Consil. 6, n. 2; Pontius, de *Impedim. matrim.*, cap. xxvi, § 6. §. Is autem Layman, lib. V, tr. X, p. 2, cap. iv, n. 4; Palao, de *Sponsal.*, disp. 2, pun. 10, n. 5. Ratio est, quia concilium Tridentinum, loc. cit., expresse requirit, ut delegandus sit sacerdos, ibi: « vel alio sacerdote, » quæ verba, quia juxta communem intelligentiam intelligi debent, arg. c. *Ex litteris il.* 1, de *Sponsal.* ad diaconum, vel subdiaconum, aut alium clericum non sacerdotem extendi minime possunt; cum nomine sacerdotis juxta communem intelligentiam non nisi presbyter intelligatur. Accedit communis praxis ac consuetudo Ecclesie optima legum interpretis, l. 37. ff. de *Legib.*

82. *Etsi non sit curatus.* — Illud tamen fatentur tam citati, quam alii doctores, non esse necesse, quod talis sacerdos sit curatus, sed possit esse quivis simplex etiam irregularis, excommunicatus, aut interdictus; quia concilium ad delegationem plus non requi-

rit, quam sacerdotem; qualis est etiam simplex, excommunicatus etc. huc faciunt etiam dicta supra n. 73.

83. *Licentia assistendi matrimonio dari potest verbo et scripto, specialiter, vel generaliter, v. g. commissione curæ animarum.* — Resp. III. Licentia assistendi matrimonio ab ordinariis, vel parochis concedi potest sacerdoti, verbo, vel scripto, aut alio signo, idque specialiter, vel generaliter, generali nempe concessione peragend. cuncta munera parochialia, Palao, loc. cit., § 12, n. 1; Sanchez, lib. III. disp. 35, n. 6 et seqq.; Pontius, lib. V, cap. 29, n. 2; Navarrus, h. t. Consil. 13. qui allegant etiam pro conclusione declarationem cardinalium: Ratio est, quia concilium Tridentinum sess. 24, de Reform. matrim. cap. 1, præcise requirit, ut licentia concedatur alicui sacerdoti; nec addit, ut fiat in verbis, aut scriptis, aut speciali mandato; consequenter generaliter ac indistincte, prout nempe sub se comprehendit omnes licentiarum species intelligendum venit, c. Quia circa. 22. de Privileg. et can. 1, dist. 19, et l. Si chorus. 39. ff. de Legat. 3. Et ita generaliter concessa videtur, quando alicui ab ordinario, vel parochis generaliter ac sine exceptione conceditur, aut committitur Curæ animarum, Sanchez, loc. cit., n. 9. et doctores citati.

84. *Aut administratione sacramentorum.* — Item generaliter concessa censetur licentia assistendi matrimonio per hoc, quod ab ordinario, vel parochis alicui in genere concedatur administratio sacramentorum, Palao, loc. cit., n. 1; Pontius, loc. cit., n. 2, et alii contra Sanchez, loc. cit., n. 8. Ratio est, quia generali commissione administrandi sacramenta, censetur, universim committi cura animarum, consequenter etiam potestas assistendi matrimonio, prout patet ex declaratione cardinalium apud Farinacium, vol. 4, pag. 275. ibi: « Requiritur commissio generalis administrandi sacramenta, vel si hæc absit, expressa, aut specialis licentia. »

85. *Capellani seu cooperatores parochorum in his partibus habent generaliter sibi concessam licentiam assistendi matrimonio.* — Infertur, capellanos, seu cooperatores parochorum, quibus ab ordinario, aut parochis in genere committitur cura animarum in aliqua parochia (prout fieri solet in partibus Germaniæ) generaliter concessam habere etiam licentiam, et potestatem assistendi matrimonio,

ut proin matrimonia coram eis contracta valeant, ac si contracta essent coram parochis, per dicta n. 83. Secus foret, si ordinarius in datione curæ animarum specialiter exciperet assistentiam matrimonialem. Prout contingit in aliqua diœcesi occasione cujusdam casus, quo duo sponsi coram cooperatore parochi ob aliam causam præsentibus testibus publicè sine præmissis denuntiationibus contrahebant: post hunc enim casum reverendissimus ordinarius curam cooperatores postea limitavit; quatenus limitatione facere non potuit, quin matrimonium prius jam contractum, validum permanserit; præsertim, quod etiam sententia Sanchez, num. præced. allegata contra hoc matrimonium non militavit, eo quod cooperatores in illa diœcesi non tantum administratio sacramenti, sed cura animarum in genere prius fuerit concessa; quatenus curæ concessione generali etiam licentiam assistendi matrimonio concedit; nec Sanchez, nec alius negat.

86. *Vagus quis sit?* — Quæritur IV. Quis sit proprius parochus vagorum, seu vagabundorum in ordine ad contrahendum matrimonium? Ante responsum suppono ex dictis lib. II, tit. II, § 2, a. n. 44, vagos, seu vagabundos illos esse, qui nullibi certam stabilem sedem, aut verum, vel quasi domicilium habitationis habent, arg. l. Ejus, qui. 27. § Celsus. 2. ff. ad municipal.; sed hinc inde vagantur, vel priori vero, aut quasi domicilio relicto aliud quærunt; sive dein jam determinaverit quis, ubinam sedem seu domicilium sit collocaturus, sive non; quivis enim adhuc revera est, et dicitur vagus, donec etiam re et facto aliud domicilium obtineat, prout cit. lib. II, tit. II, § 2, n. 45, jam diximus, et docet etiam Sanchez, lib. III, disp. 25, n. 3; Gutierrez, de Matrim. cap. LXV, n. 2; Bosco, cit. disp. 11, sect. 9, concl. 11, n. 433, arg. cit., c. Ejus, qui. ff. Ad municipal. § Nam hunc puto sine domicilio esse. Ratio est, quia, cum talis prius domicilium, ut supponitur, vere jam deseruerit, aliud autem actu necdum habeat, pro illo tempore revera sine domicilio, consequenter vagus est. Nec refert, quod in mente jam resolverit, ubinam domicilium figere vellet; quia domicilium non sola animi destinatione, sed re et facto constituitur, l. Domicilium. ff. Ad Municipalem. Neque refert, quod alicubi adhuc domicilium originis habeat, uti cum aliis bene

observat Sanchez, l. cit. n. 1; Gutierrez, loc. cit., n. 2. et doctores num. seq. citandi: alias enim vel pauci, vel nulli essent, aut dici possent vagi; cum domicilium originis semper retineatur, et nunquam dimittatur, nisi locus originis funditus evertatur, juxta dicta supra n. 59, et jura ibidem allegata.

87. *Esse potest vagus, etsi adhuc domicilium originis habeat.* — Infertur eum, qui vel a domicilio originis, vel habitationis vere, discedit, animo alibi domicilium constituendi, primo die, discedit, jam esse verum vagum, quantumvis certo sciat, ubi natus sit, item ubi ejus parentes etiamnum existant. Sanchez, loc. cit., n. 1. Imola, in c. Dilectus, de Rescript. n. 10; Jul. Clarus, in Pract. crim. lib. V, § 5, q. 39, n. 8; Bosco, loc. cit., dicens esse certum. Ratio est, quia pro illo tempore sine domicilio, sicque vagus est, consequenter a quovis parochis loci, ubi existit, valide copulari potest, juxta statim dicenda H. N.

88. *Parochus vagorum ordine ad matrimonium est parochus loci, ubi vagi existunt.* — Resp. I. Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium, est quivis parochus illius loci, ubi vagi actu versantur, Bosco, loc. cit., Sanchez, loc. cit., § 8, 9 et 11; Gutierrez, loc. cit. n. 10; Pontius, lib. V, cap. xv; Pirhing, h. t., n. 19, cum communi aliorum. Ratio est, quia et hi debent habere aliquem proprium pastorem, sed alius magis congruus astrui nequit, quam parochus loci, in quo versantur, utpote a quo etiam alia sacramenta percipiunt; ergo. Accedunt plures declarationes cardinalium, de quibus testatur Pontius, loc. cit.

89. *Etsi unus tantum sit vagus.* — Resp. II. Parochus loci, in quo vagi actu versantur, valide assistit matrimonio, etiamsi unus tantum ex eis sit vagus, Sanchez, loc. cit., n. 14; Gutierrez, loc. cit., n. 8 et alii. Ratio est, quia ad valorem matrimonii sufficit, quod alterutrius sponsi parochus assistat, juxta dicta n. 65, atqui parochus loci, in quo vagus pro tempore moratur, est proprius ejus parochus per dicta num. præced.; ergo.

90. *Et sponsi ex fraude et dolo deseruerint domicilium.* — Ampliatur utraque n. 88. et 89. data conclusio etiam ad casum, quo sponsi ea intentione et animo, ut citius ac certius alibi copulentur, domicilium, quod habent, relinquunt, sicque aliquam quasi

fraudem et dolum committant; dummodo vero et non ficto animo illud deserant, et ad aliud brevi se conferre revera non intendant, Sanchez, loc. cit., n. 11; Pontius, loc. cit., n. 6; Gutierrez, loc. cit., n. 11; Bosco, loc. cit., n. 444; Cardinalis de Luca, de Matrim. discours. 1, n. 9 et seqq. dicens sæpe est declaratum a sacra Congregatione, fraudulentiam non obstare mutationi domicilii, nec invalidare matrimonium. Idem docet, et de sacra Congregationis declarationibus testatur Fagnanus, in c. Significavit. de Paroch. n. 37 et seqq. Ratio est, quia in tali casu hujusmodi personæ revera sunt vagæ per dicta supra n. 86 et 87.

91. *Fraudem non facit, qui utitur jure suo.* — Nec dicas, « fraus et dolus alicui patrocinari non debent, » c. Sedes. 15, et c. Ex tenore. 16. de Rescript. Negatur enim, hic intervenire talem fraudem, cui resistunt jura; cum tales personæ utantur jure suo, quod cuiusvis licitum est, pro libitu domicilium deserere: « Nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure suo, » l. 55. ff. de Reg. jur. et l. 3, § 2. ff. de Homine. lib. exhib. ibi: « Quia dolo malo non videtur habere, qui utitur jure suo. »

Dicitur tamen notanter, « dummodo vero et non ficto animo illud deserant etc. » hoc enim nisi fieret, vera fraus committi, et matrimonium invalidare videretur per ea, quæ dicuntur infra n. 126. ubi vide.

92. *Parochus sine licentia ordinarii matrimonio vagorum licite non potest assistere.* — Resp. III. Quamvis matrimonium vagorum validum sit, etsi parochus loci sine ulla præcedenti inquisitione de vagorum statu libero et habilitate eisdem assistat, tamen ut licite quoque assistat, prius de eis diligenter inquirere, et inquisitione facta rem ad ordinarium deferre, ab eoque licentiam obtinere debet. Unanimis, ob claram dispositionem concilii Tridentini, sess. 24. de Reform. matrim. cap. vii, ibi: « Parochis autem præcepit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » Ratio est, periculum, ne tales vagi alibi uxorem jam habentes alteram ducant, prout concilium ibid. præmittit illis verbis: « Multi sunt, qui vagantur, et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, et plerumque plures, illa vivente diversis in locis ducunt. Cui malo

sancta synodus cupiens occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant, magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant. »

93. *Bene tamen valide.* — Hinc infert Sanchez, loc. cit. n. 15. cum communi aliorum, parochum, qui sine inquisitione facta, et licentia ab ordinario obtenta, vagorum matrimonio assistit, mortaliter peccare; quia in re gravissima agit contra præceptum ecclesiasticum.

Quod autem nihilominus valeat tale matrimonium, tenet Sanchez, loc. cit., n. 16; Pontius, loc. cit., n. 8, cum communi, et certa aliorum. Ratio est, tum quia adsunt adhuc essentialia, et necessario requisita ad matrimonium. Tum quia concilium legi suæ non apposuit clausulam irritantem; conjugia autem contra simplicem legem non habentia clausulam irritantem subsistunt, arg. c. *Ex litteris*. 2. in fine, de *Matrim. contra interdict.* *Eccles.* et pro regula tradit Sanchez. Accedit declaratio cardinalium, de quo loc. cit. testatur Sanchez: ergo.

94. *Milites quando censeantur vagi in ordine ad matrimonium?* — Quæritur V. An, et quando milites veniant nomine vagorum? et quis sit proprius parochus eorum? Item an, et quid circa matrimonia militum valeant curiones, seu capellani castrenses? Resp. I. Si milites in castris, aut papilionibus existentes non habent capellanum castrensem pro animarum cura eorumdem, a Sede apostolica deputatum, vel ab ordinario, in cujus diœcesi existunt, approbatum et expositum, vagis annumerantur, consequenter eorum parochus erit ipse parochus loci, in quo pro tempore existunt. Conclusio patet ex dictis: cum enim milites in castris existentes, nec verum nec quasi domicilium habitationis habeant, juxta dicta n. 86, tales autem re vera vagi sint, per dicta n. 86, consequens est, quod parochus eorum proprius sit loci, in quo pro tempore existunt, per dicta supra n. 88.

95. *Capellani castrenses nec in castris nec in præsiidiis seu quartieris possunt valide assistere matrimonio, nisi habeant specialem facultatem a Sede apostolica, vel licentiam et approbationem ab ordinario, in cujus diœcesi extare contingeret.* — Resp. II. Si milites habent curionem, seu capellanum castrensem præditum speciali facultate apostolicæ Sedis, vel approbatione et licentia ordinarii, in

cujus diœcesi illos extare contigerit, poterit hic eisdem sacramenta administrare, ac etiam matrimonio eorum assistere juxta tenorem facultatis concessæ a Sede Apostolica, vel ab ordinario diœcesis, in qua pro tempore milites existunt; ita ut si hæc non tantum pro castris, sed etiam pro præsiidiis sonet, nãobique matrimonio assistere valeat; si autem tantum pro uno aut altero loco vel tempore concessa inveniatur, eidem se accommodare debeat. Patet conclusio. Cum enim non tantum pontifex, sed et ordinarius alicui sacerdoti alias non parochi dare possit licentiam assistendi matrimonio, textu claro concilii Tridentini sess. 24. de *Reform. matrim.* ibi: «Seu Ordinarii licentia,» manifeste patet, quod si hic vel ille eam dat, et prout dat, taliter et non aliter eadem frui valeat capellanus castrensis.

96. Resp. III. Si curiones seu capellani castrenses non habent specialem facultatem a Sede apostolica, vel expressam licentiam, et approbationem ab ordinario, in cujus diœcesi pro tempore existunt, tunc nec in castris, nec in præsiidiis seu quartieris matrimonio militum valide assistere possunt. Hæc conclusio licet olim multum hinc inde disputata et controversa fuerit, tamen hodie certa est ob declarationem cardinalium repetitis vicibus, et novissime editam 29 januarii, 1707, ad interrogationem reverendissimi ordinarii Frisingensis, quæ in forma authentica exhibita ita sonat.

97. *Affertur novissima declaratio cardinalium.* — «FRISINGENSIS. Cum occasione transitus, aut stationis hybernæ in diœcesi Frisingensi præterdant capellani exercituum, eorum militibus sacramenta administrare in locis, ubi permanent absque licentia parochi, ac illorum matrimoniis assistere absque præviis denuntiationibus, et contra dispositionem sacri concilii Tridentini jam recepti in dicta diœcesi; episcopus ad occurrendum malis exinde provenientibus, et polygamiis jam detectis, supplicat sibi subministrari remedium, ac declarari an prædicti capellani id peragere possint.

«Die 29 januarii 1707, sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium Tridentini interpretum censuit, dandum esse decretum alias hac de re editum, et signanter sub die 6 martii 1694, in dubiis capellanorum exercitus tenoris sequentis, videlicet primo. An capellani cujuscunque exercitus sive regulares, sive sæculares catholici pos-

sint administrare militibus in præsiidiis degentibus sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis sine speciali facultate Sedis apostolicæ vel licentia et approbatione ordinarii, in cujus diœcesi extare contigerit? secundo. An assistere matrimonio militum cujuscunque nationis degentium in præsiidiis cum militaribus fœminis sine dicta facultate apostolica, et præcedenti probatione liberi status, ejusque recognitione coram ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parochia maneant? tertio. An idem cum militibus degentibus in castris, et stationibus hybernis vel æstivis? quarto. An idem cum militibus in actuali expeditione positus? quinto. An idem cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus sed Italis originariis loci seu diœcesis, in qua reperiuntur? sacra Congregatio, etc. ad primum, secundum, tertium, quartum et quintum respondet negative. (L. S.) B. Cardm. Panciaticus Præf. V. Petra Secret. gratis etiam quoad scripturam. »

98. *Adducuntur plures doctrinæ practicæ de capellanis castrensibus in ordine ad matrimonium.* — Infertur I. Quod in causa controversiæ aut dubii, an capellani castrenses valide assistere valeant, vel valide adstiterint matrimonio militum, tam parochus, quam ordinarius indagare possint ac debeant, et videre, an et qualem habeant facultatem aut licentiam a Sede apostolica, vel ab ordinario concessam, et juxta tenorem illius judicare.

99. Infertur II. Quod, etsi capellanus castrensis habeant licentiam ab ordinario unius diœcesis, vi hujus non possit assistere matrimonio suorum militum, si in aliena diœcesi illos extare contigerit; prout expresse patet ex declaratione, vi cujus capellanus castrensis ad valide assistendum matrimonio habere debet vel facultatem apostolicam, vel licentiam et approbationem ordinarii, in cujus diœcesi extare contigerit.

100. Infertur III. Sublatam esse illam controversiam et differentiam, quid de jure in castris, et quid in præsiidiis seu quartieris valeant; quia juxta allegatam declarationem nullibi quidquam valent, nisi quantum et qualiter Papa vel ordinarius concedunt.

101. Infertur IV. Quod si capellani castrenses ab ordinario unius vel alterius diœcesis licentiam habeant, exercitum autem aliam diœcesim venire contigerit, ab ordinario talis diœcesis licentiam petere, vel ab

assistentiæ matrimoniali abstinere, eamque parochi loci relinquere debeant, sive dein in præsiidiis, sive in castris extent milites.

102. *Ad valorem matrimonii requiruntur et sufficiunt duo testes.* — Quæritur VI. Quot, et quales ad valorem matrimonii requirantur testes? Resp. I. Certum est, quod præter assistentiæ proprii parochi, aut delegati ab eo, vel ordinario, ad valorem cujuscunque matrimonii etiam vagorum, duo vel tres requirantur testes. Omnes textu claro concilii Tridentini, cit. sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. 1, per textum supra n. 54, allegatum.

103. *Etiam infames, impuberes, consanguinei, etc.* — Resp. II. Sufficiunt autem ad hoc quicumque testes, dummodo rationis sint capaces, et ea quæ de jure naturæ requiruntur, habeant; adeoque habiles ad hoc testes existunt etiam impuberes, consanguinei, domestici, religiosi, fœminæ, excommunicati, infames, infideles, hæretici, et alii alias de jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles. Sanchez, lib. III, disp. 41, n. 5; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 32, n. 138; Palao, de *Sponsal.* disp. 2, punct. 13, § 13, n. 3; Gutierrez, cap. XLIV; Layman, lib. V, tract. X, punc. 2, cap. IV, n. 6; Bosco, cit. sect. 9, concl. 15, cum communi aliorum, contra paucos alios. Ratio est, quia concilium Tridentinum, loc. cit. duos, vel tres testes simpliciter, et sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit; ergo sufficiunt ea, quæ de jure naturæ ad testem requiruntur; præsertim cum decretum concilii Tridentini, quatenus ad valorem matrimonii requirit testes, sit correctorium juris communis (utpote de quo matrimonia clandestina valida erant per dicta n. 53) ergo non est extendendum, sed quantum proprietas patitur, restringendum, juxta dicta lib. I, tit. II, n. 421.

104. *Testes inhabiles quando admittantur?* — Accedit, quod testes alias de jure positivo minus idonei fidem faciant rei gestæ, quando minus habilis cum habili, et omni exceptione majori concurrat, ut tradit et probat Mascardus, concl. 365, n. 13, prout in matrimonio contingit, utpote ubi semper etiam parochus, testis utique exceptione major, adest. Item habiles habentur in causis favorabilibus, arg. c. *In fidei*. 5. de *Hæretic.* in 6, inter causas autem favorabiles etiam matrimonium numeratur c. fin. de